



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Longinquas dioecesis suæ partes visit. cap. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

set; quæ contra non solum Mediolanensis, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ ius, immo contra ipsius Pontificis auctoritatem videretur; merito ad ipsum retulisse Pontificem, supremum iudicem, patremque omnium ecclesiarum. molestum id fore Regi non putasse. eius meritorum magnitudinem, & se agnoscere, & vt quam gratissimus esse posset, semper curaturum. A se Regi semper omnia fore paratissima: sed quæ Ecclesiæ esse putaret; ijs, si quis forte id expeteret, cedere se nullo modo posse; præsertim quo priuatis beneficijs responderet. Nihil se a Rege expectare, quod valde pio, & catholico principe dignum non esset: quem satis nosse sciret, regias vires in iuuanda Ecclesia, non autem opprimenda poni debere. id si non fieret, magnas sine dubio perturbationes, grauissimaque incommoda futura. quibus tamen ecclesia Mediolanensis tunc minime careret; quæ vt tam grauius illata, suam libere non poterat exercere potestatem; in eos præsertim qui vel ob ipsam impunitatis fiduciam, turpem, flagitiosamque vitam agerent. Litteras ad Pontificem, quales postulabat Marchio, pro eo, quod ecclesiæ suæ debebat, dare se posse, negauit. dedit autem huiusmodi.

Caroli litteræ ad Pontificem.

*Sanctissime ac Beatissime Pater. Cum antea ad sanctitatem tuam de rebus ad huius ecclesiæ iurisdictionem pertinentibus singulatim retuli; tum hoc tempore Ormaneto mandauit, vt diligenter exponat, quidquid id cum Marchione Seralui actum est, qui nunc Romam proficiscitur. is cum a me contenderit, vt de eodem negotio componendo, Senatoribusque Romam minime compellendis ad te perscriberem: quæ in hoc genere sentiam, quæque antea significauit, & Marchioni ipsi*

*libere respondi, hic breuiter attin- gam. Quod ad Senatores attinet; nullam priuatam iniuriam meam, equidem vindicari volo. de cetero quid sanctæ sedis Apostolicæ dignitati conueniat; quid Ecclesiæ conducatur vniuersa, rectissime tua Sanctitas existimabit: eius enim illa caput est; ego autem exiguum membrum. De huius ecclesiæ iure, id confirmo; nihil aliud spectare me; nisi vt illius auctoritate seruata, qui post hac Archiepiscopatum geret, omnia libere exequi possit, quæcunque ad eius officium pertinebunt. Ceterum testimonia me, ac argumenta, quæ ad possessionem ecclesiæ probandam valent, ad Sanctitatem tuam misisse satis habeo. quæ cum apud se viros habeat bonitate, doctrina, iudicioque præstantes: & ex eorum numero, qui in Concilio Tridentino huius generis rebus constituendis interfuerunt: cumque, quod caput est, a spiritu sancto regatur: meas esse partes alias non video; quæ expectare, quid illa decernat; & quidquid decreuerit, prompta omnino voluntate accipere; nihil dubitans; quin illud rectum, sanctumque sit. Sanctitatis tuæ pedes summisce osculor. Mediolani nono Calend. Februarij M. D. LX. IIX.*

Ita Marchio Romam profectus, in primis omni diligentia, studioque tempus adhuc prorogari curauit; vt aliquo modo interim vocati eximerentur.

Quamquam autem eo iurisdictionis grauissimo negotio Carolus erat occupatus; quæ tamen ad suos regendos, rebusque salutaribus iuandos pertinerent, eorum nihil omittebat. Atque cum alias diocesi partes, aut per

Löginquas  
diocesis suæ  
partes visit.  
CAP. III.



per se, aut per alios peragraré, visereque ad id tempus perseverasset; ad eam ipse initio Octobris anni M. D. LX. VII. profectus est, quæ in rebus profanis paret imperio trium pagorum Heluetiorum. continetur ea pars tribus vallibus, Leuanti-na, Brennia, & Riparia, & ad montem sancti Gothardi pertingit. primo igitur Carolus certiores de suo aduentu pagorum principes fecit. & quoniam eorum imperium plurimū non modo apud laicos, sed etiam apud clericos valebat; legatos mitti petijt; qui in ea regione lustranda cum comitarentur. Illi, vt tres pagi erant, tres primarios viros ita miserunt; quos humanissime habitos Carolus secum adduxit. Tanto temporis spatium regiones illæ Archiepiscopum, aut eius administratos non viderant; vt pene à rectis omnibus Ecclesiæ institutis; atque adeo ab ipsa, quam Archiepiscopo præstare debebant, fide, atque obedientia discessissent: soloque propemodum Heluetios dominos in omnibus agnoscerent. populus quidem natura minime malus, & simplex, ignorantia peccabat: sed clericus vita erat, vitij, flagitijque plurimis cooperta. diuinæ res, & ipsa præsertim sanctissima Eucharistia indignissime habebatur; qua de re Carolum quandoque lachrymantem comites viderunt. multa erat ignorantio rerum illarum, quæ ad sacra ministeria, non dicam vtilis, sed omnino necessariæ sunt. beneficia plerique vitiose obtinebant, tum pecunia interueniente, tum deficiente Archiepiscopi auctoritate. ipsi parochi turpibus lucris, sordidisque negotiationibus operam dabant. concubinas, liberosque ex eis susceptos domi palam habere non verebantur. adulteria, incesta, sacrilegia multa: apud quosdam etiam non parum catholice fidei discrimen. Ipsi autem pagorum principes, & magistratus licet ca-

Pars III.

tholici, nemine contradicente, aut aliud docente, omnem fere in rebus ecclesiasticis auctoritatem sibi sumpserant. Ibi Carolus singulas ecclesias visere; presbyteros, & alios incolas diligenter interrogare; angusta loca, difficilia, aspera que adire; montium altitudinem, prærupta saxa, siluestrium locorum penuriam non vereri; nullius vitæ commoditatis, neque valetudinis rationem habere; nullo diei, noctisue tempori parcere. omnino spatio mensis adeo profecit, vt eius ecclesiæ tota pene facies immutaretur. Multa passim decreuit: plures presbyteros multauit; puniuit; sacerdotijs, sacrisque officis mouit. tantum se continuit, ne victos Mediolanum deduceret. Principibus Heluetijs persuasit, vt multa in dandis beneficijs; & in rebus iudicandis, quæ ad clericos pertinerent, sacræ permitterent potestati. quæ illi Caroli sese virtuti: sanctitati que dare publice testabantur; quamquam contra Carolus suadebat, non sibi, sed sanctæ Ecclesiæ, Deoque esse tribuenda. Postremo, vniuerso clero in vnum conuocato, quæ opus erant, grauitè, pieque monuit, & cohortatus est: quod idem præstari iussit per religiosum virum, qui grauissimam concionem ad eum cœtum habuit. Sed valere plurimum verba, quæ aliorum quoque nomine vnus ex legatis ad clerum fecit: Quamquam Heluetijs consilium non erat, priuilegia sua dimittere, quibus in earum vallium administratione utebantur; agnoscere tamen, ea quandoque rectores attigisse, quæ fas non esset: sed fecisse coactos malefactorum clericorum, Pastorum que incuria, qui eam regionem neglexerant. in posterum longe aliter fore. in Concilio Tridentino se assuise, illudque pagorum nomine recepisse: velle omnino Principes, eius decreta seruari. palam se denunciare omnibus; nemini posthac apud ipsos

Cc per-



per fugium fore; quin a Cardinali ple-  
ne regerentur; & quemadmodum o-  
porteret, corrigerentur. Demum cle-  
rus Concilij Tridentini decreta pu-  
blice recepit; concilij prouincialis  
constitutiones seruandas suscepit:  
tum catholicam fidem stata formula  
singillatim professus est. Ita Caroli  
dolorem, quem ex tanta prauitate  
cœperat, emendationis remedium,  
spesque melioris in dies progressus  
non mediocriter leuauit: simul vero  
illud; quod præ finitimarû ecclesiarû  
de quibus cognouerat, conditione,  
suas bono statu satis esse intellexit.  
Litteras autem discedens ad gentis  
consilia dedit; quibus & delegato-  
rum opera gratias egit; & monita  
multa ijs de rebus addidit; quibus ve-  
ræ pietatis, religionisque causa, in re-  
gione gubernanda illis abstinendum  
esset. Atque iam tum, christiana gen-  
tis charitate motus, cum eam præser-  
tim in sua iam habuisset clientela: co-  
gitare cœpit, quemadmodum alijs  
item ecclesijs, quæ in ditione Helue-  
tiorum essent, consulere posset. ve-  
rum nihil eo tempore, publice ten-  
tandum arbitratus; priuatis officijs  
oppida, castellaque multa, maxime  
suæ diœcesis finitima, iuuare non de-  
stitit; tum pueris ad clericalem vitam  
Mediolani educandis; tum conciona-  
toribus mittendis; qui fidem catholi-  
cam tuerentur, christianosque mores  
suaderent. tum alijs rebus ad eorum  
salutem accommodatis. Sed minime  
prætereundum videtur, tres eas val-  
les, quattuor ex Canonicis Mediola-  
nensibus Comitum titulo tenuisse; &  
vtraque potestate, sacra, profanâque  
administrasse. eas autem Heluetios  
cum Philippo Mediolani Duce bel-  
lum gerentes occupasse. cumque de  
pace ageretur; nescio quo animo,  
Dux, vt facilius transigeret, valles  
non suas permisit Heluetijs: earum-  
que loco Canonicis vniuersi Seprien-  
sis agri vectigal quoddam assignauit.

Ecclesiasticam vero administratio-  
nem, quam vt oportebat, canonici  
tueri, & ab improborum audacia; po-  
tentiumque viribus defendere non  
poterant, Carolus suscepit: cui tamen  
alioqui, vt loca intra suam diœcesim  
posita, neque ad alium Episcopum  
pertinentia recognoscere; quæ opus  
essent, ex sacris sanctionibus decer-  
nere, facultas erat. Ius porro, quod in  
sacerdotijs dandis consistit, canoni-  
ci retinere.

Præter Mediolanensis ecclesiæ ne-  
gotia, Carolus alia quoque grauissi-  
ma suscipere non omittens; noua sem-  
per ad hominum salutem, & ad eccle-  
siæ fructum exempla proferebat. Cœ-  
fecit eodem anno priusquam exiret,  
negotium inter alia correctionis or-  
dinis Humiliatorum. Instituerant il-  
lum Mediolanenses olim nonnulli.  
cum enim Conradus Imperator eo-  
rum plurimos cœpisset, & in Germa-  
niam duxisset; primarios quidem se-  
cure percussit; alios autem referuauit;  
qui periculo commoti diuino se cul-  
tui totos dedere constituerunt: & vt  
primum, Conrado mortuo, ab Hen-  
rico successore reditum in patriam  
obtinerunt; monasticam auctorita-  
te Pontificia religionis disciplinam,  
ex sancti Benedicti institutis, cum al-  
bis indumentis susceperunt, Humi-  
liatorumque sibi nomen imposue-  
runt. Ij plurimis in Italia fundatis mo-  
nasterijs; annorum amplius quingen-  
torum spatio a prima disciplina, vt  
humana est imbecillitas, longe admo-  
dum in multis discesserant. Viderat  
Carolus ordinis patronus, & iudex,  
correctione opus esse: atque iam an-  
te per Ormanetum, cum is Mediola-  
ni esset, aliquam eius rationem ten-  
tauerat, qui cum eorum comitijs præ-  
fuisse; fecit ille quidem, vt de corrup-  
telis quibusdam tollendis aliquid in  
congregatione decerneretur: verum  
ad rem perficiendam; maximæ autem  
ad alia, quæ grauiora, & difficiliora  
erant

Humiliate-  
rum ordinis  
corrigit.  
CAP. IV.